

QVÆSTIO PHYSICO-MEDICA
AN SICCVS AER SIT HVMIDO SALVBRIOR.

AVSPICIIS
PERILLVSTRIS ET REVERENDISSIMI DOMINI
D. PHILIPPI DE TULLE
Canonici Ecclesiæ Metropolitanæ,
Vniversitatis Avenionensis Primicerij,
Rectoris, Iudicis, & Privilegiorum Conservatoris.

PRO BACCALAUREATU.

I.

AER, ut vitæ, sic sanitatis, morborumque præcipuus author, corpus est fluidum, perlucidum, grave densati, & resilire aptum, auditui, tactuiquè obvium; ex duplici partium genere potissimùm coalescit aliis crassioribus, tenuioribus aliis; crassiores non modó effluviorum ab omnigenis ferè corporibus, jugiter dimanantium proventus, sed corpusculorum etiam peculiari textu & figurâ, primo rerum ortu conditorum series, tenuiores veró motu velocissimo, crassioribus vim diffluendi, lumenque transmittendi impertiuntur; ab intestinâ subtiliorum illarum partium agitatione, & aptâ crassiorum configuratione, aëris vis resiliendi deducitur, cujus immensa propè efficacitas, miré elucescit in vesicâ ferè inani, vacuo boyliano imposita quæ aëris intùs coërciti & rarefacti nisu, pondus quinquaginta & amplius attollit; diversa porrò aëris indoles à vario ejusdem motu, & advenientibus è terraqueo globo expirationibus; hinc modò gravior, modò levior, hîc subtilis, illic densus & concretus, nunc siccandi, nunc madefaciendi potestate præditus, ingenio tamen proclivior ad siccandum, & nimio tantùm guttularum aquarum interjectu humidus evadit; ejusdem pondus, aut elasticitas, ex halituum quibus refertur copiâ dimetiri, par non est, hæ enim ambæ proprietates, flante Boreâ majores, Austro spirante minores, Barometro teste, undè colligere est vim elasticam siccâ tempestate roborari, humidâ verò & nebulosâ resolvi.

II.

AERIS porrò ad vitam necessitatem, qui spirare semel incepit, novit, illius usu carere, non modò nequeunt animalia perfecta, sed imperfecta etiam, ut insecta, conchylia, fœtus in utero, aut in ovo conclusus, ipsaquè vegetabilia; quibus ideò singulis propria fabricavit organa natura parens, ut ipsum intrà se possint admittere, & dein rejicere, seu respirare; præter respirationem verò suo etiam tum ad externas, tum ad internas partes appulsu animalium corpora afficit aër; alimentis permixtus deglutitur, & ad chylosim non est inutilis, sanguinis circuitum, nec non motum intestinum à quo vita fovetur producit; corporis ambitum, omni ex parte comprimendo, per eam regionem cruoris circuitum provehit, functionibus insuper nonnullis famulatur, secum enim odores ad nares defert, & auris labyrinthum intimé pervadens, tympani extrinsecùs verberati modulationes excipiens principi auditus organo repræsentat, &c.

III.

CUM igitur ex supradictis tanta sit aëris necessitas, non mirùm si pro variis quibus donatur proprietatibus, tot & tantas subeant corpora mutationes; hinc diversitas in temperamentis, studiis & moribus gentium; hinc idem homo in eadem regione, modò tristis & severus, nunc hilaris, modò prosperâ, nunc adversâ fruitur valetudine, pro diversâ scilicet constitutione aëris siccâ, aut humidâ ad illas enim duas hîc potissimùm qualitates, varias quibus aër donatur, reducere placet; siccus aër, ut potè ad resiliendum aptior, fibras corporis firmat, meatus aperit, humores superfluos exhaurit, & fermenta acuit, celeriùs in pulmones delabitur, & implicitos ejusdem anfractus penetrat & recludit, hinc vividior sanguinis motus, & vegetiores spiritus, animusque ad sua munia promptior, alacriorque exurgit.

IV.

HUMIDUS aër è contrà quàm sit valetudini noxius, facilè quivis, perspectâ ipsius naturâ, intelliget, corpori enim gravitatem inducit, in Pulmones ægrè delabitur, ibique cunctantem sanguinem, segniter ad circulationem absolvendam impellit, stimulatque, undè laboriosa respiratio, & exhalantium humidarum particularum in sanguine retentio, undè sanguis minùs vegetus, effœti spiritus & languidum universum corpus: obturatis insuper ab humidâ colluvie cutis spiraculis, insensilis transpiratio præpeditur, obtunditur fermentorum intùs latentium vigor sicque debilitato sensim liquidorum motu, & laxato fibrarum tono, multi eveniunt morbi, catharrus putà, raucedo, apoplexia &c. Quicumque igitur aliquam suæ sanitatis rationem duxerit, is siccum & sincerum aërem, in locis mediocritèr editis, & insolatis, ac aurâ suavi perflatis, seligat humidum verò qualem efficere solent austrina constitutio, maris, majorumque fluviorum vicinia, solùm stagnis & paludibus scatens, humile, collibus undique obseptum & à Sole minùs collustratum, omni industriâ declinet, sicque immunem ab incommodis plurimis ætatem producens egregias sicci aëris dotes secum reputans, lubens nobiscum concludet.

Ergò siccus aër humido salubrior.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

Has Conclusiones, Deo dante, & auspice Dei-Para. Præside Illust. ac Nob. D.D. IOANNE BAPTISTA GASTALDY Regis Consiliario, & Medico Ordinario, almæque Facultatis Medicinæ Professore Primario & Botanico. Tuebitur Nob. D. SIMON PHILIBERT Valreacensis, Diæcesis Vasionensis, Artium Magister & jam dudùm Medicinæ studiosus. Die 23 Aprilis 1714, Hora ~~septima~~ decima matutina.

AVENIONE, Apud FRANCISCUM MALLARD, Bibliop. & Typog. Illust. & Excel. PROLEGATI, Illust. ARCHIEPIS. & UNIVERSITATIS 1714.